



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. De facto non certò, sed probabiliter asseritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

§. II.

De facto non credo, sed probabiliter asseritur.

3. **CONCLUSIO II.** *Quamvis certum non sit, valde tamen probabile est, de facto in hac vita quosdam sanctos transeuntē & in raptu clarē vidisse divinam essentiam.*
- Ratio primæ partis est: quia loca S. Scr. 1. Tim. 6. cit. Ex. 33. & Jo. 6. non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a DEO, hic vidit Patrem, univērsaliter negat à quoquam homine in hac vita videri DEUM; & in tali univērsalitate absque ullius hominis exceptione à multis SS. PP. Cyrillo, Hieron. Chyloft. Greg. Naz. aliisque à Contentoso citatis negatur hoc privilegium videnti divinam essentiam concessum mortalibus.
4. Ratio secundæ partis est: quia D. Augustinus multis locis, præsertim l. 12. d. Gen. ad lit. c. 16. 27. & 28. cum S. D. hic, a. 11. ad. 2. ab hac univērsali regula excipiunt Moysen & Paulum Apostolum, fundamento ex ipsa S. script. accepto, nam de Moysē quidem DEUS dicit Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Prophetæ Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis servus meus Moyses. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per enigmata; & figuras Dominum videt.* De D. autem Paulo, ipsemet 2. Cor. 12. *raptum fuisse usque ad tertium Cælum, & raptum fuisse in paradysum, ibiq; audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hæc autem ineffabilia non ad cognitionem fidei (aliàs illa eloqui potuisset) sed ad visionem beatorum pertinent, de quâ Il. 66. *Oculus non vidit DEUS absque te, quæ preparasti diligentibus te.* Congruentiam dat S. D. quod Moysēs fuerit Magister Judæorum, & Paulus Magister Gentium.
5. Inferes ex dictis: Si ulli sanctorum hoc privilegium fuit concessum, id maxime competere Beatissimæ Virgini, cui omnis reliquorum sanctorum prærogativa, ipsius statui congruens, est adscribenda, juxta Angelici Doct. pronunciatum in 3. p. q. 27. a. 1. *rationabiliter credo, ut illa, quæ genuit unigenitum à Patre, præ omnibus aliis majora privilegia acceperit gratia.*

§. III.

Adstruitur hoc privilegium S. Patriarchæ Benedicto.

6. **CONCLUSIO III.** *Hoc privilegium merito & probabiliter tribuitur S. Patriarchæ Benedicto, utpote accepto fundamento à summo Ecclesiæ Doctore D. Gregorio M. qui cum l. 2. Dial. c. 35. retulisset, quod vir Sanctus in quodam raptu velut sub uno solis radio totum mundum collectum conspexit. Sequenti c. 36. hunc radium fuisse DEI lumen affirmat, dicens: hoc procul dubio cernere non nisi in DEI lumine poterat. Et causam ulterius explanans, cur totum mundum ante se collectum viderit: anima, inquit, videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce Creatoris aspexerit, breve ei sit omne, quod creatum est, &c. Atqui videre DEUM & in*

DEI lumine significat claram visionem DEI: sic enim Glossa in illud Ex. 33. *Non videbit me homo & viveret, dicit, lumen DEI esse claritatem, quæ sit ipse DEVS.*

Atque hoc ipso modo D. Gregorium intelligit S. Bern. in serm. super illud: *Audiam, quid loquatur in me Dominus.* ubi cum Angelicam cognitionem creaturarum in DEI visione prætulisset humana cognitioni in hac vita, & dixisset: *cum contra longe beavus, perfectiusq; Angelica natura in Creatore notitiam habeat creatura: subjungit: ad quam mirum excellentiam licet ad modicum raptam fuisse videtur anima illa: quæ collectum sub uno solis radio mundum univērsum conspexit: De quo miraculo B. Papa Gregorius in libro Dialogorum scribens: Videmus, inquit, Creatorem angusta est omnis creatura.*

Idem sentit D. Bonaventura de lumin. Eccl. Scrm. 20. hæc eadem D. Gregorii verba exponens: *Mundus non fuit coangustatus in uno solis radio, sed ejus animus dilatatus, quia vidit omnia in illo, cujus magnitudine omnis creatura angusta est.* D. quoque Dionysius Carthusianus serm. d. S. Ben. & Rupertus Tuitiensis uterque visionibus & raptibus celebres hoc ipsum è D. Gregorio inferunt, propugnant nostri Ordinis Religiosi in Collegio Salmaticensi, & Capitulo Generali Valisoleto testē Hefft. c. 35. Vite D. Ben. docent hujus Universitatis clarissimi Professores, præsertim Reverendiss. Ralsler in Theibus de Vit. DEL & Illustrissimus Reding q. 4. a. 1. n. 26. Item Max. Sandeus Theol. var. l. 3. comment. 42. exercit. 2.

Dices ex S. D. quodlib. 1. ar. 2. ad 1. & 2. istud lumen, sub quo S. Bened. vidit collectum mundum, fuisse aliquid lumen creaturæ à DEO derivatum, non ipsam divinam essentiam. Cujus indicium est, quod ad visionem divinæ essentiae in hac vita requiritur, ut mens humana rapiatur & alienetur à sensibus, adeo ut cum Apostolo Paulo nesciat, utrum sit in corpore, an extra corpus.

At Beatus P. Benedictus in illa visione non fuit alienatus à sensibus, siquidem vidit lucem corpoream & spheram igneam, in qua anima D. Germani terebatur in cælum, & in eadem visione persistens servandum Diaconum advocavit.

Sed contra est primò: Ex verbis S. script. ostendit tibi omne bonum, palam non per enigmata DEUM videt. probabiliter inferitur visio divinæ essentiae: non obstante, quod Ex. 33. DEUS ad Moysen dixerit: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viveret.* Et in si. videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris, ex quo Interp. communiter inferunt, saltem illo tempore divinam essentiam à Moysē non fuisse inspectam. Ergo hoc multò probabilius deducitur è textu D. Gregorii, qui nequidem apparentem oppositionem habet in contrarium, prout deduxerunt SS. PP. & DD. citati.

Contra est secundò: Quod nisi D. Gregorius hoc termino ipsam DEI essentiam vel lumen gloriæ, & sub ly videns claram DEI visionem intellexisset, neque Petro interroganti satis fecisset; neque congruam dedisset responsonem. Nam ex lumine derivato, & prophetica visione non sequitur,